

MUELIS REYHERI *Mathesi Mosaica, sive Locis Pentateuchi Mathematicè explicatis,* copiosè patet; verùm etiam è *Juris Canonici Canone* probatur, qui hæc *Hieronymi* verba adducit: *Si quispiam adversus Mathematicos velit scribere, imperitus Mathematicis, risui pateat.* Constat & nihilominus de non contemnendo Mathematicæ, in Jure quem habet, usu luculentissimè: si *Viri Celeberrimi, Fautoris & Amici nostri longè Estimatissimi, Domini GEORGII MARS-MANNI, J. U. D. & Inclutæ Reipubl. Budiss. Syndici, Tractatus Mathematico -- Juridicus,* in duas partes, **METROLOGIAM** nempe & **MILIOLOGIAM,** distributus, legatur.

§. 2. Cæterùm de interioribus commodis, quæ Mathematicæ Scientiæ suis præstant cultoribus, quid dicam? Exasciant sanè hæc eâ parte hominis mentem, quâ omnium maximè perfici apta nata est: quâ nempe rimatur *Objectum non præcisè intelligibile, sed quoadantenus etiam sensibile, h. e. rerum quantitates computat, diversasque inter se confert.* Præterquam verò, quòd hujus vitæ quoque præclaro pariter atque
 com